



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nucleus Coppensteinus Conceptuum Prædicabilium In Dominicas Festaque omnia per Annum

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1624

Dominica IV. Post Epiphan. Ascendens Iesus in nauiculam. Matth. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51556)

nescium. Hoc pulveri; iniuria marmoris inscribitur. *Aelian.* ait l. 4.

Tangant ergo nos Dei beneficia, mortuosque suscitent. 1. Sicut 4. *Reg.* 15. ad tantum ossium *Elisæi* cadaver reuixit. 2. Sicut carbones extincti ad prunas accenduntur. *Perora*, facta repetitione affectus plena istius, quem concione tota præcipue spectasti.

DOMINICA IV. POST EPIPHAN.

Ascendens Iesus in nauiculam.

Matth. 8.

Ionas i. Inssa Dei fugiens per altum, orta tempestate cunctis complorantibus, solus dormit. Excitatus, se & ortæ causam esse; & sedandæ fore ait, si in mare præcipitetur. Fit. Mare pacatur. Sic Iesus dormit. Excitatur: *Domine salua nos, perimus.* Olim præcipitandus, iussu nunc solo mare sedat.

De quo nos

- I. Quod Dei omnipotentia in mari se declarare soleat.
- II. Quod mare sit mundus.
- III. Ecclesianaui.
- IV. Quod in aduersis nos præeat Christus; exemplum discipulorum inuiter.
- V. Motus magnus cur factus.
- VI. De iactatione Apostolorum.
- VII. De dormitione Christi.

P A R S I.

Omnipotentia Dei se in mari declarare sicut.

In terra & mari se Deus ostendit præcipue. **E**Th orbis totus; terra tamen & mare potissimum sunt velut theatrum mirabilium operum Dei. 1. Quia, In hisce: non in igne, vel aere, viuit homo: cuius causa omnia sunt creata: Vt *Psal.* 55. *In Me sunt, Deus, vota tua.* 2. Quia præcones miraculorum Dei, quæ terra marique edi-

dit, maxime extollunt. Vt *Pf.* 105. *Magnalia in Aegypto, terribilia in mari rubro.* 3. Sic *Iob.* 9. *Qui commouet terram de loco suo; & columna eius concutiuntur.* &c. *Qui graditur super fluctus maris: Id est, vt S. Gregor. exponit: Super mundi afflictiones.* 4. *Qui facit Arcturum, & Oriona: Id est: Ecclesiam 7. stelis donorum S. spiritus illustrem; Sic ut 7. candelabris: Apocal. 1. Arcturus vt semper voluitur, marique mergitur, & emergit: sic Ecclesia affligitur: at nunquam submergitur.*

II. Mirabilis Deus in mari, si vsquam: 1. Ideo *Gen.* 1. Diuinitatis indicium datur vel maxime. *Moyse* hoc: Spiritum Domini super aquas ferri. *Pf.* 76. *In mari viatua, & semita tue in aquis multis.*

3. Hieroglyphicum rei impossibilis erant priscis pedes picti super mare: At Deo idem est omnipotentia signum.

1. Vt, *Apocal.* 10. Angeli pes super mare, alter in terra, signat, Dominum esse terræ, & maris: Vel *Iudæorum*, ac *Gentiliū*. 2. Et sicut *Jacob* dexteram iuniori, *Gen.* 49. sinistram seniori filiorum *Ioseph*, benedicens imposuit: ita Deus dextero pede mare gentium, sinistro terram *Iudæorum* prelit: ad horum reprobationem; electionem istarum. 3. Vnde *Psalm.* 106. *Posuit flumina in desertum; & exitus aquarum in sitim: terram fructiferam in saluginem à malitia habitantium in ea.* Id *Augustin.* de reprobis *Iudæis* intelligit ibid. in *Comment.*

1. Istud *Abacuc.* 3. *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* S. Hieron. de gentibus exponit. Nam præconibus fecit viam per gentes euangelizandi.

2. Hinc *Apocal.* 19. Verbum Dei equo candido inuectum scribitur. 3. S. Gregor. lib. 34. moral. cap. 48. *Aperuisti iter præconibus tuis inter doctrinas huius sæculi, sordida & terrena sapientes.* Ita in mari Deus.

III. Verum & in ventis mirus. 1. *Eccles.*

G

cles.

rem se Deo
probat.

clef. 43. In sermone eius siluit ventus: & cogitatione placavit abyssum. 2. Ita hodie Iudæa vidit; & quæsiuit. Quis est hic, quia mare, & vti obediunt ei? 3. Origenes respondet: Cum multa magna & mirabilia fecisset in terra, transit ad mare: quatenus terra marisq; Dominum se esse omnibus ostenderet. Rem dixit Origenes.

PARS II.

Mare est mundus.

Diuinæ prouidentia symbolum fuit prisca picta nauis, cuius clauū regeret, & remos impelleret Deus. Idem in mundo hoc vnus est omnia Deus.

Mundus est.

1. Varius.

2. Vndosus.

3. Mortuorum os.

4. Minorū oppressor.

5. Sterilis.

6. Periculosus.

7. Mestrosus.

8. Hospes militans.

At mundus mare est. 1. Quia varius, tristib. alternat prospera: & risum miscet lachrymis. 2. Momento ad honores surgitur in mundo; & exciditur. Psalm. 36. Vidi impium superexaltatum, & eleuatum, sicut Cedros Libani: Transiit; & ecce, non erat. 3. Cadauerum impatiens est: sic mundus non fert mortuos mundo, & sibi ipsi. Sap. 2. Grauis est nobis ad videndum, &c. Nam qua conuentio lucis ad tenebras? 2. Cor. 6.

4. Minores à maioribus piscibus deuorantur in mari: in mundo inferiores à potentibus. 1. Cor. 11. Sustinentes, si quis vos in seruitutem redigit; si quis deuorat. 5. In fundo maris nil nisi arena Ierem. 5. Qui posui arenam terminum mari. In mundo nil nisi puluis, & vanitas, arenâ sterilior. Roman. 6. Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis? 6. Pericula in mari? In mundo plura: & animarum maiora, quàm corporum in mari. Sanctus Augustinus. Amas saculum? Absorbebit te. Amatores suos vocare nouit; non portare. 7. Monstra parit mare? & mundus: Vt bilingues, bicipites, bicordes. Prouerb. 8. Os bilingue detestatur Deus.

8. Mare est inhabitabile: Et mundus. Hebr. 13. Non habemus hic manentem ciuita-

tem, sed futuram inquirimus. 9. Mare amarum est; neque tamen pisces eius saluginem sentiunt: Sic in mundo. Iob. 30. Esse sub sentibus, delicias reputant. 10. Mare infatigabile est, pluraque hauriret flumina: Et mundus vsque sitit honores suos, voluptates: nouaq; excogitat. & in omnibus verum est hoc: Motus magnus factus est in mari, in mundo.

9. Amara.
10. Infatigabile.

PARS III.

Ecclesia est nauis.

I. Nauis agitata est, secundum omnes, Ecclesia; Extra quam, vt Arcam Indisissimam Noe, nulla salus. 1. Nullas ea rimas patitur; vt mergi queat: id est, errores, vt errare possit. Cant. 6. Vnica est columba mea; vna Perfecta mea. 2. Scindi, Ecclesia est, per di. Sicut Antiochus rex cum obsessio à se pyrata famoso sic transegit, vt eum cum dimidia classis parte saluum dimitteret. Pyrata se dedit. Rex naues singulas fecat medias; iubet, vtram vellet partem, eligat. Sic fregit potentiam pyratae. Idem Ecclesiae eueniret, si diuisa scinderetur.

II. Prou. 30. Quod Salomon non intel-
ligeat, erat Via nauis in medio mari. Et quis intelligit, quomodo Ecclesia tot inter fluctus iam diu nondum perierit? qua via se seruet? Stat autem, & æternat infracta. Cur? ob assistentiam S. spiritus: & promissum Christi. 1. Matth. 16. Porta inferi non praualebunt aduersus eam.

2. Quia 1. Tim. 3. Est firmamentum & columna veritatis. 3. Quare Ierem. 1. Ne timeas. Ecce dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream. Deinde Ecclesia perennat inter procellas persecutionū. Hætrinae sunt: 1. Ab tyrannis, Imperatoribus ethnicis. 2. Ab hæreticis. 2. Petr. 2. Et in vobis erunt magistri mendaces. 3. Ab peruersis Christianis. Quarta omnium fauissima erit: Antichristi.

III. Inter has Ecclesia est arca Noe, Periclitans
conti-

sur humi-
nitas.

continens munda, & immunda anima-
lia, & superat vsq. 1. Gen. 25. Et si in vtero
Rebecæ fetus rebelles colliderentur: ip-
sa tamen non abhorruit: Ita.

2. Esto: sint bella in Ecclesia: ipsa ta-
men est pacifica. Sint peccatores: ipsa ta-
men tota pulchra est amica Dei. 3. Apoc. 12.
Mulierem parturientem bestia deuorare
conata est: at ista mansit illesa. Ita demum
triumphum Ecclesia auferet inuicta, &
integra. 1. Ut inter flammam rubus ar-
dens, at incombustus. Exod. 3. 2. Ut sub o-
nere pressa palma, Cant. 7. sed opprimi
nescia. 3. Est & nauis nata nare, ac maris
Domina ire super vndas. Talis Ecclesia
super fertur scopulis tyrannorum; mon-
stris hæreticorum; decumanis vndis
male Christianorum.

PARS IV.

In aduersis nos præit Christus; exemplum disci-
pulorum inuitat.

Dux Iesus
in uesperis.

I. Ascendente Iesu in nau. Ipse primus in
periculis maris: in penis terra pri-
mus sua constantia amaritudines per-
fringit, iterque planat, sequatur, cui libet.
1. Iud. 9. Abimelech pinum disseccans, ra-
mosq. inter milites distribuens, ait: *Quod
me videtis facere, cito facite: hodie nos ab
hoste vindicabimus.*

2. Sic Luc. 9. *Qui vult venire post me; ab-
neget semetipsum, & tollat crucem suam, & se-
quatur me. Arripe ramum. Est vita.*

3. Moyses cum virga in manu præit in
mare populum, & ait Exod. 14. *Nolite ti-
mere. &c.* Ita Christus præit in mare tri-
bulationum. 4. Qui mare sunt nauigatu-
ri; nauim, seq. ab necessariis instruunt: in-
primis nauarcho bono. Sic prouidendū
in primis, nauclerum Christum habea-
rous. Hunc conciliato tibi: cæterum, in-
fulsa fortunæ, ac tristitia ride. Licebit secu-
re per eum, quite ducit, Iesum.

II. Et discipuli secuti sunt eum. Nil effica-

cius roborat inter aduersa, quam exem-
pla Sanctorum. 1. Hinc Iudas ad Israel. 1.
Mach. 4. *Memento te, quomodo salui facti sunt
patres nostri; cum persequeretur eos Pharaon in
mari rubro.* 2. Et Iosu. cap. 4. transito Iorda.
ne iussit xii. grandia saxa fundo educi, ac
in litore poni: signum posteris, & exem-
plum spei in Deum. Apostoli xii. in hæ-
rentes Christo nos plus ad exemplum
valebunt nobis?

At, quid est, quod turba plurima Domi-
num sequitur in terra prosperitatis: per
mare autem aduersitatum pauci tantum
discipuli secuti sunt? 1. Act. 26. Perorans vin-
ctus Paulus coram Agrippa Rege, ait: *O-
pto omnes fieri tales, qualis & ego sum; exceptis
vinculis his q. d. Velim omnes me imitari,
& sequi Christum: sed vincula & passiones
non sunt omnium.* 2. Omnibus paradisi
gaudia parata sunt: Crux tamen est disci-
pulorum. Qui cum ipsi hic trepident;
quid facient tenelli mandani?

III. Terra sequuntur, non mari; qui a-
more sui adhuc tenentur plus iusto.

1. Sic Isaac, quamuis Sanctus, ad Esau
tamen plus afficiebatur, quam ad Iacob:
quod de illius venationibus subinde ve-
sceretur. Vnde non tam Esau, quam
seipsum diligebat. Ita Deum quidam di-
ligunt ob beneficia; mundique ferinam
carnem, qua pascuntur oppipare. 2. Sic
Psalm. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas
iustificationes tuas, propter retributionem:
temporalem? an æternam? an utramq.?*
2. Iacob quoque Gen. 28. *Si fuerit Dominus
mecum, & custodierit me in via, per quam am-
bulo, & dederit mihi panem ad vescendam, &
vestimentum ad induendum, reuersusque fue-
ro prosperè in domum patris mei: erit mihi Do-
minus in Deum.* 4. Ita nullus gratis pati a-
mat: amore sui, Prou. 22. *Dicit piger: leo est
foris. Piger ieiunium est leo &c.* En & tem-
poralia appetere iustum est: at iis seruire,
impium.

viam
gna.Attamen
tristia pau-
cis graua.Amant
Deum multi
ob benefi-
cia.

X: explorū

*Qua im-
perfectio
est.*

IV. Hæc cum Deo amicitia tempora-
lium respectu, valde imperfecta est. 1.
Eccl. 6. Est amicus secundum tempus; non per-
manebit in tempore tribulationis. At; Omni
tempore diligit, qui amicus est. & frater in an-
gustis comprobatur. Vt per mare secuti Do-
minum discipuli. Vos estis, qui per mansistis
mecum in tribulatione. 2. Hebræi prius tre-
piduli, vt videbant Ægyptios submer-
sos; se vero spolijs ditēs; tum vero læ-
tum canebāt, Exod. 15. Cantemus Domino:
glorioso enim magnificatus est. Breui post, a-
liqua laborantes penuria, murmurant,
Exod. 16. Vtinam mortui essemus per manum
Domini in terra Ægypti; quando sedebamus
super ollas carniū. Variū cor hominis!

*Quidam à
se Deum
abesse vel-
lent.*

3. Genezareni, audito quod Dominus
eiectos Dæmones in porcos immisisset,
& hos in mare: rogant, finibus excedat
Matth. 5. Ita quidam malūt à se abire Do-
minum; quam spiritui subiectum cor-
pus suū priuari voluptatulis suillis.

*Suspicio
Sathanae
de Iob.*

4. Diabolus credebatur Iob seruire Deo,
ob temporalia; Vt ipsum eo etiam nomi-
ne apud Deum traduceret. Iob. 1. Nunquid
frustratimet Deum? Nonne tu vallaſti domū
eius, vniuersamque substantiam per circuitum:
operibus manuum eius benedixisti, & possessio
eius creuit in terra. Sed extende paululum ma-
num tuam, & tange cuncta quæ possidet; nisi
in faciem benedixerit tibi. Recte mentita est
iniquitas sibi. Nam perstitit in fide Iob &
dixit: Dominus dedit; Dominus abstulit: sit
Nomen Domini benedictum.

PARS V.

Motus magnus cur factus.

*Motus is
fuit super-
naturalis.*

I. Ecce motus magnus factus est. Supernat-
uralis fuisse videtur; Luca c. 8. in-
nuente: Et descendit procella venti in stagnum:
Cum tamen procella à ventis, sub aqua
clausis, ceteris soleant. Vt in Psalm. 134. E-
ducens nubes ab extremo terræ, qui producit
ventos de thesauris suis, è mari.

Et hi Ipsi parent, 1. Psalm. 148. Spiritus pro-
cellarum, qui faciunt verbum eius. Et fecerūt.
2. Exod. 14. Siccantes mare, & vt murum
hinc, & hinc fustinentes.

3. Exod. 10. Auehentes ex Ægypto cy-
niphes & locustas: Afferentes in castra
coturnices.

Magnus. 1. Quia timentes; excitare Do-
minum coacti sunt. 2. Sedatio tanto ad-
mirabilior accidit: ait Origen. 3. Vt hoc
maius gaudium foret; quo maius peri-
culum. Neque id tamen sine Numine:
Quia creata nulla insurgunt in Creato-
rem; nisi homo solus.

*Motus cau-
sa.*

II. Semper insigne quid accidit; vbi
Deus adest. 1. Ierosolymam in it Domi-
nus: Matt. 21. Et commota est vniuersa ciuitas.

1. Arca Domini, 1. Reg. 4. venit in castra
Hebræorum: mox exultant omnes: vt
etiam hostes obtupeſcerent. Ita. 3. Arca
inferetur in fanum Dagon: 1. Reg. 5. & hic
corrui. Sic idola superbiæ, gulæ, &c. ru-
unt Deo animam subeunte.

Sicque alium in hominem mutatur. *Noſtro bo-
no.*

1. Vt Saul. 1. Reg. 10. cum Spiritus Domi-
ni in eum descendisset, fit ex læuo mitissi-
mus. 2. Psalm. 113. A facie Domini mota est
terra, à facie Dei Iacob: qui conuertit petram in
stagna aquarum, & rupem in fontes. Hac est
mutatio dexterae Excelsi. Psalm. 76.

III. Credit Amb. D. Thom. Beda, ob
Iudam motum extitisse. Male domui; in
qua impius. 1. Sic ob Ionæ inobediētiam,
Ion. 1. periclitantur in naui omnes. 2. Ob
Achani furtum, Ios. 7. Israel cæditur vi-
ctus. 3. Ob Core, Dathan, & Abyron o-
mnes eorum domestici absorbentur vi-
uiab inferno. Num. 16. Vbi impietas; ibi
tempeſtas.

Caue igitur familiæ. Sic Dauid Psalm.
100. Oculi mei ad fideles terræ; vt sedeant me-
cum. Ambulans in via immaculata, hic mihi
ministrabat. Nō habitabit in medio domus mea;
qui facit superbiam. Qui loquitur iniqua; non
direxit

*2. Fit oblu-
damnum
multis no-
xium.*

3. Fit ob
impiorum
pacem.

direxit in conspectu oculorum meorum.

IV. An motus causa Christus? Non is quidem; sed in nauim; & mare turbatur, ante pacatum. Ita impiis, vt mari, est ficta pax, bellis deterior. 1. Luc. 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum; in pace sunt omnia, quae possidet.* Infelix pax impio!

2. Tunc dæmon, vt Holofernes, ait: Iudith. 11. *Ego nunquam nocui viro, qui voluit seruire Regi Nabuchodonosor.*

Quae bello
dirior.

At sub hoc risu quantæ lachrymæ? Isai. 38. *Ecce, in pace hac amaritudo mea amarissima.*

Nimirum hanc pacem turbat Christus. 1. Edixit Matt. 10. *Non veni pacem mittere: sed gladium.* 2. Cum amor virtutum intus turbat vitia; tum vero surgunt bella intus, foris que odia improborum.

3. S. Chrysostomus ait. *Fur non insidiatur domui, feno, scutisque refert; sed auro, opibusque plena: Sic dæmon meritis, & virtutibus instructus attentat.*

4. S. Gregor. ait: *Dæmon eos tentare negligit; quos quieto iure se possidere sentit.*

PARS VI.

De iactatione Apostolorum.

Mundus est
periculosus

I. PELago iactantur Apostoli. *Glossa.* *Nihil enim in mundo stabile.* Time igitur etiam praesente Christo. 1. Prouer. 8. *Beatus, qui semper est pauidus.* 2. S. Bern. *Nusquam est securitas; nec in paradiso: multo minus in terra.* 3. Caelo eieci Angeli: caeru Apostolorum Iudas. 4. Pacatum antea mare fuit: ineunt cum Christo Apostoli: iam turbat. Cur?

Iusti mun-
do sunt de-
specti, ex-
osi.

Secuti Dominum in Religionem, carpuntur à mundo, vt defides. 1. Hinc de tali, vt de Christo, dicitur: Sap. 2. *Contrarius est operibus nostris.* Nam paupertate diuitias, humilitate superbiam. & c. mundi arguit Religiosus. 2. Vt Simia speculum horret, & vbi potest frangit; suæ inibi vitæ fceditatis impatiens: 3. Vt que Camelus

limpidam turbat bibiturus; ne gibbi deformitatem intueatur: ita mundus turbat orbis specula, viros bonos. 4. Ioanne aulam Herodis ingresso, illa turbat in eum; donec occidisset. Nempe austeritas aulicæ mollitiei contraria videbatur.

II. Ideo iustos oportet infestari: Cum mundus eos habeat peregrinorum instar. 1. Ioan. 15. *Si essetis de mundo; diligeret vos mundus. Quia vero de mundo non estis, odit vos mundus.* 2. Captiuus quamdiu in carcere latet, omnes quieti sunt: at si eruperit, omnes vnum infestantur. Sic religio. sum mundus. 3. Dauid, 1. Reg. 17. ante caesum Goliath, & aliquanto post, omnibus charus fuit, & ambibatur, etiam à Rege: At vbi virtutes eius, & gratia innotescebat: iam inuidia, odia, persecutiones ciebantur in vnum. Causa subest.

Onustas pretiosis naues inuadunt pyrata: dæmon, hanc Apostolorum vetericem: in qua omnes thesauri sapientiae & scientiae Dei erant cum Christo. 2. Paulus vas gratiae, cum etiam ad caelestia euectus fuisset, tum vero 2. Cor. 8. *Datus ei stimulus carnis, angelus Sathana, qui eum collaphizet.* Propter quod ter Dominum rogauit, vt discederet à se 3. Nec tutus vel Ipse Seruator: vel in desertum persequitur eum tentator: Matth. 4. *Hec omnia tibi dabo. & c.*

Quare, seruus Dei es? *Custodi animam tuam, quoniam sanctus es.* Pf. 85. Casianus refert visionem eremitæ: Hic in specu orationi intentus vidit Luciferum cum turba dæmonum confidere ad conferendum, quid quisque mali patrafferet, Varij varia. Vnus fert palmam: qui xxv annis tentans religiosum, demum impulit ad nuptias. Iam sibi quis fidat? Vel ipsi iactantur Apostoli: Nec tutus ab turbine I E S V S: nec ab dæmone intentatus.

2. Sunt pe-
regri ni.
& c.

Sunt que
Dau des.

3. Sunt
17. 1105.

Sint ergo
cauti.

PARS VII.

De dormitione Christi.

*Præfulum
vigilantia
est necessa-
ria, & sa-
lutaris.*

I. Ipse vero dormiebat. Præfulum dormitãtia est sæpe turbationum causa.

1. Cant. 7. *Mane surgamus ad vineas: videamus si vinea nostra floruit.* 2. Vigilans super gregem suum nocte tribulationis, est vt luna, noctis præses: quæ licet planetarum sit minima; maiores tamen influxus habet in terrena, cõprimis in aquas, ob vicinitatem. Sic Præful, vicinus suis residendo, rem rectius agit. (maxime vbi mobile vulgus est:) 3. Act. 5. Petro terram obambulante, vmbra eius mortuos suscitauit. Sic Pastor indoctus, at bonus: vel vmbra sua salutaris est. 4. S. Bern. ait: *fi cui phiala pretioso Christi Iesu Sanguine plena daretur custodienda, quanta eam cura custodiret: At vel vna anima æquipollet huic Sanguini.*

Ergo vel surgens prælatus imperet ventis & mari: Vel imploret Iesum maris Dominum. Nam Psal. 88. *Tu dominaris potestati maris: motum fluctuum eius tu mitigas.*

*At Dei
maxime.*

1. Atque ita eueniet istud Psal. 107. *In aquis multis ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in suo fundo.* Item Psal. 76. *Videntur te aqua Deus; & turbata sunt abyssi.*

Est omnino solius Dei pacare fluctus; aut ciere. Isa. 51. *Ego Dominus Deus tuus, qui conturbo mare.* Atque id inter mirabilia Dei Dauid refert. Psal. 64. *Qui conturbas profundum maris.*

*Inobedien-
tia hominũ*

II. Cum autem maria obediant ei, & venti: heu! quod solus homo resistat. Ierem. 5. *Audi popule stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, non videtis; aures, & non auditis. Me ergo non timebitis, & a facie mea non dolebitis? qui posui arenam terminum mari. præceptum sempiternum, quod non præteribit: & commonebuntur, & non poterunt: & intumescunt fluctus eius, & non transibunt illud: populo autem huic factum est cor incredu-*

lum exasperans. Id est: obedientia insensibilium tuam condemnat inobediẽtiam, tuosque impetus, quos sequeris.

III. Imperauit ventis: Non extendendo Virgam: vt Moyses Exod. 14. Non pallio aquas tangendo: vt Elias ad Iordanem. 4. Reg. 2. Sed, vt Creator imperat. 1. Præuidit hoc Sara, Tob. 3. *Post tempestatem tranquillum facis; & post sletum exultationem infundis.* 2. Psal. 106. *Dixit: & stetit spiritus procella.* 3. Psal. 48. *Nix, glacies spiritus procellarum; quæ faciunt verbum eius.* Et Psal. 118. *Omnia seruiunt tibi. Per ora cum recapitulatione epidictica & graui.*

*Obedientia
rerum ca-
terarum.*

DOMINICA V. POST
EPIPHAN.

*Simile est regnum cælorum homini,
qui seminauit bonum semen in
agro suo. Matth. 13.*

Simile in Dominica Sexagesima.

Sponsus, Cantic. 1. *Sponsa spondet: Murranulas aureas faciemus tibi. vel, vt LXX, Similitudines auri.* Eadem notant parabolas, sine quibus non erat Christus mysteria sua prolocuturus. In quibus hodierna facile princeps est.

Occasione cuius nos

- I. De patientia Dei, peccatores tolerantis.
- II. Quis, qualisque seminator, & quod semen.

III. Quæ causa Deo peccatores tolerantis.

IV. Hæreticos esse eradicandos.

V. De Christianis saluti indormientibus.

VI. De virisque Magistratus dormitantia.

VII. Quis inimicus sator sit lolij.

PARS I.

De patientia Dei peccatoris tolerantis.

I. Mirandum, impios tam patienter à Deo tolerari, ac si eorum nesciret scelera, Dauid abyssum iudiciorum Dei

Admiranda est.